ILLVSTRISSIMIS PROTECTORIBVS
MAGNI XENODOCHII GENVENSIS,

CAROLVS LAVRENTIVS LICETVS
Eiusdem valetudinarij vnus ex Medicis
Primarijs M. A. F.



Estilentis ignis debacchationem vagantem, in Neapolitanumque Regnum sæuientem; qui compatior, non admiror, quum & ipsius gressum per multas Italiæ partes suspicer, Marte Ignifero Planeta dominante, maleficoq; Saturno veneficos influxus contribuente, vndè morbos vaticinantur Astronomi calidos, & malignos; quorum quoque minas dedit Eclipsis Solaris Anno D. 1654. in cauda Draconis venefica Luminaribus obsessis à maleficis, sub Signo Leonis plurium partium Italiæ Domini, cum aspectu Sæui Saturni perniciose, mala Epidemica minantis: Nec prætereo Co-

A metam

metam, qui anno 1652. apparuit, & in infesti Saturni mala adumbratione fuit, per annos corporibus perniciem inferens, de quo metheorologicũ habet discursum cl. Thomas Odericus, quem in litteraria Rep. multi facit Fortunius Licetus mihi patruus, & preceptor, Philosophorum Iubar. Tantæ luis temerariam, & effrænem vim, quæ corpora cito perdit, qui physico meditatu hõ percipiet, morbi essentiam considerans corpora afficientem, & inficientem ab occulta qualitate parum nota, vt ait Galenus. Nullum dabit laxamentum sæuus hic affectus per æstatem fomite ambientis calore, quum morbus calidus, & siccus maxime sit, vt ex sectione, & inspectione cadauerum videre licuit, quorum viscera nigris maculis, vibicibusq; liuidis fœdauit impius ignis, vi cuius in cordis sinibus sanguis concretus, & in grumos conuersus apparuit, vt Cl. Medici Neapolitani testimonium dedere. Hæc morbi ignita sæuitia similis, quæ Populo Pandionis incubuit, videtur concremare corpora, vt Lucretius carminibus exprimebat de natura rerũ lib.6.

Principio caput incensum feruore gerebant,

Et duplices oculos suffusa luce rubentes;
Sudabant etiam fauces intrinsecus atro
Sanguine, & vlceribus vocis via septa coibat;
Atque animi interpres manabat lingua cruore,
Debilitata malis; motu grauis, aspera tactu.

Et ob ingentem caliditatem, excedentemq; siccitatem, adeò siti excruciabantur, vt potius per aquam, & in aqua mori optarent, quam in æstu exurente viuere.

In fluuios partim gelidos ardentia morbo
Membra dabant, nudum iacientes corpus in vndas.
Multi præcipites lymphis putealibus altè
Inciderunt ipso venientes ore patente.
Insedabiliter sitis arida corpora mersans
Æquabat multum paruis humoribus imbrem.
Nec requies erat vlla mali: defessa iacebant
Corpora, mussabat tacito medicina timore.

Mussabat tacito medicina timore, quæ auxilia corporibus agentia in tempore contribuens, reparare non potest corpora, quæ quasi in instanti a qualitate venenata corruunt, cuius est tanta vis, vt passiua corpora disposita statim corrumpat, non parata vna disponat, & destruat, ad instar ignis quæque obuia depascentis: morbus hic q tantum per corpora ob hu-

morum corruptelam a tota substantia est, non propagatur nisi per contactum, & viciniam, qui quum adhuc talis sit, vtinam Trifauces ad terræ, & Littoris custodiã haberemus continue latrantes; si vero aer & ipse ab inhumatorum cadauerum copia infestetur, & per mistionem vaporosam corrumpatur, sola Diuina potentia propinquos, & remotos campos tueri potest, quum veneficus idem vapor è longinquissimis regionibus feratur vi ventorum teste Galeno: vt autem remedia præseruatiua, & curatiua sint nobis præ manibus ad necessitatem, si quæ vlla esset futura continuam tamen sanitatem a Dei clementia non desperamus; quædam magis necessaria describere volui, vt ipsorum nobis sit sufficiens apparatus: Hæc sunt a methodica scientia, & Hermetica arte desumpta, quibus peritus medicus non omnibus ijsdem remedijs opitulans, sed cognitis differentijs morborum, ætatum, temperamentorum, & sexus ipsis consulens in suffragio vti poterit: Nullum enim datur præsidium ita certum vt omnibus possit opitulari, nisi apud histriones. Pretiosissimum Oruietanum, in paucis habeo, ab

Excellentiſs. Petro Ruffo, collega in Noſodochio, & egregio medico, propoſitum in conſilio habito de hac re, cuius non vulgarem dedit deſcriptionem, ſatiſq;operoſam. Celebratiſſima antidotus, quæ mitridatios dicitur, theriaca, confectio alkermes, confectio de Hiacyntho, magiſterium perlarum, pulueres viperini, bolus armena, terra ſigillata, lapis bezzaar, zedoaria, carduus bened. contrahierua, tormentilla, pimpinella, enula, gentiana, ariſtolochia rotunda, Dictamus. Aquæ ſcorſonariæ, ſcabioſæ, morſus diaboli, rutæ caprariæ, vincitoxici, cardui bened. ſcordei. gratia præſeruationis parabuntur tabellæ pondere drachmę vnius, deuorandæ manè ieiuno ſtomacho, ℞ radicum enulæ, tormentillæ, dictami an. ℥ ſ. boli armenæ, terræ ſigillatæ an. ſcr. 1. ſeminum acetoſæ citri an. ſcr. 11. conſeruæ bugloſsi mithidatij an. ℥. 11. ſachar. q. ſ. in aq. cardui bened. diſſoluti f. tabellæ. Pil. Regis Turcarum, ab omnibus partibus corporis humores educunt, & natiuum calorem ſimetrum reddunt, quo corpora cuique morbo obſiſtere valent, harum dabo formam non omnibus notam. Mummia cordis cerui

illico occisi ante facta con sale prunellæ, mirrha, opobalsamo, & spiritu iuniperi cor recreat, spiritus renouat & pestem fugat. Pil. quoq; Ruffi sunt ad preseruationem ex mirrha, ammoniaco, & aloe; purgatio enim corporibus confert, quum in magna pestilentia dicat Galenus omnes peremptos, qui ante purgati non fuerunt cap. 12. lib. 5. meth. At ratione curationis vterer fortioribus medicamentis, vt antimonio, diagridio, euphorbio, & similibus, quæ ab omnibus partibus corporis celeriter humores euacuant, nulla enim in venenato humore est attendenda coctio oleum sulphuris, flores sulphuris, ol. calchant. potabile, aqua thericalis sunt ad putredinem extinguendam.

Sed medicamentum vere sacrum (Arcanum dico) est antimonium diaphoreticũ Osualdi Crollij in basilica chimica validũ ad excitandos sudores, propterea a venis, & ab omnibus partibus corporis potenter expellit venenum ad extrà, & corpus a fœda lue cito vindicat. Diaphoreticum Paracelsi ad ciendos sudores in peracutis, non est inferioris virtutis. Elexir pestilentiale Crollij ad præseruationem

facit

facit ad gut. 1. vel tres in iure, vino, vel aqua cordiali exhibitum, ad curationem vero propinetur ad scr. 1. vel duos potenter sudores, & venenum extrudit a corpore, aqua hordei calida ad lib. 15 exhibito prius puluere cheieri ad 3. s. fortiter sudores mouet: extractum pestilentiale D. Ioannis Hartmanni, veneni vires infringit; comedere ieiuno stomacho panem aceto imbutum a putredine præcauet, oximel scili. ouum sorbile cum croco idem præstat. Antidotus ex rutæ folijs cũ caricis nuce, & sale magnum est præsidium aduersus pestem, propterea hanc compositionem multifaciens Mithridates in capsula pretiosissima seruauit; & de ruta scribens Athenęus, profert Archelaum quemdam Regem Ponti, consueuisse populos suos veneno interimere, atque ob id eos edoctos consueuisse, priusquam exirent domo semper rutam edere, & ità à Tyranni crudelitate se defendisse. Buso, & Ranæ partibus exteris apponuntur, vt quæ venenum attrahant, & Signa instantis pestis in linguis ranarum maculatis apparent, ac vbi cateruatim se se mutuo conscindunt, tot funera simul sepelienda prædicere solent, ait Crollius.

Crollius. Vnctiones cordi conferunt ex ol. Matth. de ſeminibus citri cum theriaca.

In ſaphiro peculiaris virtus eſt tollendi Anthracem, ſeu Carbunculum ſine corroſiuo, & in Eſcharam promouendi à ſignatura: cæterum multa ſunt ſuo tempore celebranda, vt miſsiones ſanguinis, apertiones bubonum, inuſtiones & ſimilia, quæ deſcribere nolui, non enim omnibus eadem eſt medela; ignis in neceſsitate ſuccendendus eſt ex ligno aloe, ex iunipero, lauro, roremarino, thimo, & ſimilibus. Sed quid? ob armati in tuto erimus, nec lethifer annus premet nos, qui enim totum viribus occupat orbem Deus, de nobis benignè videbit. Anno D. MDCLVI.

87812